

non convenit, vel quando non convenit, vel quo modo non convenit. Oritur hoc vitium ex iisdem causis ex quibus vacuitas timoris, quæ est maxima dispositio ad temeritatem; plerumque tamen ex cupiditate vanæ gloriæ sicut et *jactantia*, cui ut plurimum hoc vitium est connexum: nam audaces fere sunt jactabundi, et volunt videri fortes, cum non sint; hinc fit ut plerique talium etiam sint timidi; quos Aristoteles *θρασύδειλους* vocat, quasi dicas *audacitimos*; quia audaciam cum timiditate conjunctam habent. *Initio enim*, ut idem Aristoteles ait, *sunt præproperi, et antequam res urgeat, adire pericula volunt; in ipsis autem periculis cedunt et absistunt; at viri fortes, in factis ipsis sunt acres et celeres, ante facta sedati et quieti.* Quando vero cupiditati vanæ gloriæ simul conjunctus est vitæ contemptus, vel stoliditas animi mortem non apprehendentis, tunc se in pericula cæco quodam impetu projiciunt; et persistunt, etiamsi parva sit spes victoriæ; hos Aristoteles vocat *ὑψηλοὺς*, id est, projectæ audaciæ homines, qui mortis pericula lusum faciunt et jocum, et instar belluarum depugnant: hoc vitium est peccatum pro ratione mali et periculi, cui se exponunt; sicut dictum est de timoris vacuitate.

90. Circa prædicta adverte, etsi solum tria vitia fortitudini opposita numerentur, revera tamen esse quatuor: sicut enim fortitudo moderatur timorem, ita etiam audaciam; unde sicuti peccatur contra fortitudinem excessu et defectu timoris, ita etiam excessu et defectu audendi. Verum defectus audendi continetur sub *timiditate*, qua parte hæc consistit in eo, quod quis refugit aggredi quando oportet; et vocatur proprie *ignavia*: sed sicut inter *timoris vacuitatem* et *temeritatem* est magna affinitas, ita etiam inter *excessum timendi* et *defectum audendi*. Hinc apud Aristotelem eodem nomine continentur: utrumque enim *δειλία* vocat. Latini habent nomina distincta; illud vocant *timiditatem*, hoc *ignaviam*.

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS FORTITUDINI CONNEXIS, ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I.

QUÆ SINT PARTES FORTITUDINIS.

D. Thom. quest. 128.

91. Notandum ex D. THOMA, virtuti triplices partes assignari posse, subjectivas, integrantes, et potentiales. *Subjectivas* fortitudo proprie, juxta D. THOMAM, non habet; quia ipsa est species specialissima, cum versetur circa pericula mortis, quæ omnia sunt ejusdem generis, etsi alia aliis majora. Hoc tamen intellige de fortitudine unius ordinis: nam si diversos virtutum

ordines spectemus, duplex erit fortitudinis virtus: alia enim est ordinis *naturalis*, qualis esse potest sine fide; hæc timorem mortis temperat, pericula et acerbitates sustinet, hæc tantum consideratione, quia decet hominem ratione præditum, vel Philosophiæ præceptis imbutum, vel illustri familia clarisque majoribus ortum. Alia *supernaturalis*, quæ fidem et affectum supernaturalem supponit, et prudentia supernaturali ut regula utitur. Hæc eadem sustinet, quia decet Christianum, crucis Christi cultorem, immortalitatis candidatum, etc., etsi enim istæ fortitudines circa eadem pericula et circa easdem passiones moderandas, ac proinde circa eadem objecta versentur; tamen non eandem prorsus rationem formalem in illis spectant: unde nec ob eandem causam ad suas functiones moventur, sed ob diversam, et affectibus plane diversis; qua ratione etiam in fortitudine naturali discrimen specificum fortasse inveniri posset.

92. *Partes integrantes* vocat, non ex quibus ipse habitus intrinsece coalescat, sed quæ necessariae ad integrum fortitudinis officium. *Potentiales* vero, quæ virtutem fortitudinis in materia minus difficili imitantur. Porro hujusmodi partes quatuor numerantur a D. AUGUSTINO L. 83. qq. q. 31. ex Cicerone: *Fortitudo*, inquit, *est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes magnificentia, fidentia, patientia, perseverantia*; quod D. THOMAS optime declarat q. 128. art. unico in 6. et ad 5.

Officium enim *fortitudinis* in duobus situm est; *in aggrediendo* et *in sustinendo*. Ad *aggrediendum* autem duo requiruntur. *Primo*, promptitudo animi ad periculum suscipiendum: hanc præstat *fidentia*; qui enim confidit se malum imminens superaturum, facile periculum suscipit. *Secundo*, strenuitas in executione; hanc tribuit *magnificentia*, quæ teste D. AUGUSTINO, ex Cicerone, *est rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, cogitatio et administratio*. Itaque hæc duæ virtutes, quatenus versantur in periculis mortis, sunt partes integrantes fortitudinis, concurrentes ad actum aggressionis.

Similiter ad *sustinendum*, qui est alter fortitudinis actus, duo requiruntur. Primum est, ne animus difficultate et asperitate malorum frangatur; ad hoc valet *patientia*, quæ tristitias et dolores moderatur, animumque continet ne hisce passionibus victus, a recto et decore decidat. Alterum est, ne diuturnitate malorum fatiscens, cœpta bona abrumpat et desinat; et ad hoc est *perseverantia*: quo nomine hic intelligimus non eam, quæ est justitiæ usque ad finem continuatio, sed propositum durantibus malis in cœpto perseverandi.

Ex his patet, qua ratione hæc quatuor virtutes dicantur partes *integrantes* fortitudinis; nimirum si considerentur ut versantur in propria fortitudinis materia, id est, in periculis mortis; sic enim ad integrum illius officium concurrunt, suntque veluti quædam illius membra.

Si vero spectentur in aliis quibusdam materiis minus difficilibus, dicuntur partes fortitudinis *potentiales*, quia fortitudinem imitantur, licet ejus perfectionem non assequantur; vide supra c. 46. dubit. 1. Sic *fidentia* est virtus, quæ in aliis rebus difficilibus extra pericula mortis, promptum animum præstat; *magnificentia*, quæ talia splendide exequitur; *patientia*, quæ tales difficultates tolerat; *perseverantia*, quæ in finem in illis perdurat.

93. Notandum est 1^o. Prædictis partibus fortitudinis tres alias adjici a Macrobio L. 1. in somnium Scipionis; *magnanimitatem, securitatem, et constantiam*. Verum magnanimitas et securitas sub *fidencia* possunt comprehendī; *fidencia* enim continet credulitatem mali superandi vel boni consequendi, et spem conficiendi: utrumque parit *magnanimitas*; facit enim ut id, quod arduum est, videatur confici posse, et simul ejus desiderium injicit. *Securitas* est perfectio quædam *fidencie*, excludens timorem et anxiam curam; tunc enim securus est animus, quando illa confidit ut non amplius timeat vinci a malo, vel excidere a bono; item quando malum est superatum. *Constantia* ad *perseverantiam* pertinet; quid enim est aliud *perseverantia* quam *constantia* usque in finem? eodem pertinet *longanimitas*, quæ ob mali diurnitatem non sinit animum a recto desciscere.

Notandum 2^o. Non omnes prædictas partes esse virtutes distinctas, sed satis esse ut sint actus distincti: ejusdem enim habitus est præbere se magnanimum et confidentem in periculis, et securum absque anxietate. Item ejusdem virtutis est efficere patientem, constantem, longanimum et perseverantem.

Cætera vide apud D. THOMAM in respons. ad 6. ubi corrupte in multis exemplaribus legitur *lenia* pro *lema*, græce *λημα*; quod non patientiam aut tolerantiam, sed animi confidentiam et promptam audaciam significat. Plerumque accipitur in bonum; aliquando etiam in malum, ut ex Græcis auctoribus constat; hinc *ληματίας*, vir strenuus et animo confidenti, quod est virtutis; vel etiam præfidenti, quod est vitii.

DUBITATIO II.

QUID SIT MAGNANIMITAS, ET QUI EJUS ACTUS.

D. Thom. quæst. 129.

94. *Magnanimitas*, seu magnitudo animi, græce *μεγαλοψυχία*, est virtus ad opera magna et heroica in omni virtutum genere inclinans. Magnus enim dicitur animus, qui ad magna adspirat, eaque sola æstimat et cogitat, parva negligit vel despicit: ex affectu enim et studio rerum magnarum vel parvarum, animus magnus vel parvus dicitur; nihil autem vere magnum in rebus humanis, præter virtutem, quæ sola est hominis bonum, et ornamentum qua homo est, animum perficiens, et æternum permanens, æternamque vitam concilians: cætera omnia, ut divitiæ, voluptates, honores hujus mundi, parvi sunt momenti, utpote ad vitam istam corporalem duntaxat et temporalem pertinentia. Et quamvis omnia virtutum opera ad res temporales collata magna sint bona; tamen non omnia in suo genere sunt magna vel ardua: sunt enim minora et majora, facilia et difficilia; proprie autem dicuntur *magna*, quæ in singulis virtutum generibus magna seu ardua censeantur, magnoque honore sunt digna; ut sunt magnæ abstinentiæ, magna vitæ austeritas, magni labores pro salute animarum, eximia patientia in magnis calamitatibus, eximium orationis studium, etc. Itaque virtus illa, quæ magnitudo animi dicitur, ad hæc inclinatur.

Nec obstat, quod omnis virtus, si perfecta sit, ad opera magna sui generis

inclinat; magna enim virtus abstinentiæ, ad magna jejunia; magna religio, ad magna in Deum pietatis officia impellit: quia aliam rationem formalem, seu aliud motivum intrinsecum aliæ virtutes in suis objectis spectant, aliud magnitudo animi. Hæc enim inclinatur ad opera magna virtutum, non quia in illis elucet honestas peculiaris illius vel illius virtutis, v. g. bonum abstinentiæ, vel religionis; sed quia magna sunt et ardua, id est, quia consentanea animo magno et generoso, magnis gratiæ præsiidiis adjuto, magna rerum cœlestium cognitione instructo, magnis præmiis illecto, magnis exemplis provocato; qui enim hæc perpendit, facile videt, magna virtutum officia sibi congruere, et decorum esse non nisi magna cogitare, æstimare, affectare, moliri. Itaque esse *magnum* seu *arduum* in operibus virtutum aliarum, est ratio formalis objectiva hujus virtutis, ob quam ad illa inclinatur, et quam in illis efficere et veluti in sua materia imprimere conatur. Reliquæ vero virtutes, si perfectæ sint, seu in gradu heroico, inclinant ad opera magna sui generis; non ratione magnitudinis, sed ratione peculiaris honestatis, quam habent ex sua materia, quæ honestas in magnis operibus est illustrior. Itaque magnitudo operum non se habet tanquam motivum principale seu formale illarum virtutum, sed ut circumstantia objecti, ratione cujus honestas objecti magis elucet; et ut circumstantia operis, in executione respondens circumstantiæ quæ est in causa; sicut enim magnus ignis magnum calorem generat, ita magna virtus justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, magna opera sui generis.

95. Hinc patet, virtutem hanc, etsi ad opera illustriora aliarum virtutum inclinet; tamen ab illis distingui specie, et esse virtutem specialem: habet enim distinctum objectum formale, a quo suam speciem accipit; et illa opera solum se habent instar materiæ, cui suam formam inserat, quæ est esse magnum et arduum.

Hanc doctrinam expresse tradit Cajetanus q. 129. a. 1. et 4. et est D. THOMÆ ibid.; sed clarius in 3. c. L. 4. Ethicorum, exponens illa verba Aristotelis: *Etiā viri magnanimi esse videatur quod in quaque virtute magnum est*; ubi dicit: *Per hoc magnitudo est specialis virtus distincta ab aliis, quia tendit ad rationem magni in cujuslibet virtutis opere*; v. g. fortitudo intendit fortiter agere; magnanimitas intendit magna operari in fortiter agendo, et sic de aliis. Idem docet q. 134. a. 1. ad 2. Eadem est mens Aristotelis in verbis allatis; et infra cum ait: *Videtur animi magnitudo quasi quoddam virtutum omnium ornamentum; nam et majores eas amplioresque facit, et sine illis constare nullo modo potest.*

96. Dices: Aristoteles c. illo 3; et D. THOMAS q. 129. a. 2. 3. et 4. docent *magnanimitatem* versari circa *magnos honores*, ideoque esse virtutem specialem; ergo non extendit se ad actus eximios aliarum virtutum.

R. Negando consequentiā: aliter enim versatur circa honores, aliter circa actus virtutum. Circa honores enim versatur, non quidem eos propter se expetendo, hoc enim laudabile non esset; sed tanquam circa materiam remotam, moderando appetitum honorum, ut eis recte utamur, nec pluris, quam par est æstimemus: sicut liberalitas versatur circa divitiās, et fortitudo circa pericula mortis; circa vero actus virtutum versatur

tanquam circa objectum materiale, seu materiam propinquam, magnitudinem et excellentiam quamdam in illis appetendo, procurando et efficiendo. Sicut enim fortitudo moderatur timorem et audaciam in periculis, ut fortiter agat; et liberalitas amorem pecuniæ, ut ea recte uti possit, et facile donare ubi ratio dicat: ita magnitudo animi temperat appetitum magnorum honorum, ut opera magna sincero affectu designet, ne vel si honor absit, desistat; vel si adsit, ejus affectu potissimum moveatur. Qui enim magna præstare in aliquo virtutum genere student, potissimum infestantur appetitu honoris, qui illustria facta comitari solet, et vehementer affectum ad se trahit; itaque eget moderatione, quam efficit hæc virtus; ejusdem enim virtutis est bonum opus operari, et intrinseca ejus impedimenta, quæ ratione materiæ proveniunt, tollere: tale autem impedimentum est honoris immodicus appetitus. Neque solum in honoribus moderationem animi parit hæc virtus, sed etiam in contumeliis et omni fortunæ conditione; ut Aristoteles loco citato docet: *Maxime, inquit, in honoribus versatur vir magnanimus; veruntamen in divitiis quoque et principatu, in omni denique secunda et adversa fortuna quidquid acciderit, in eo se moderatum præbebit: neque in rebus secundis lætitia efferetur, neque in adversis mœrore contrahetur; nam ne in honorem quidem sic animatus est, qui tamen quam maxima res est.*

97. Ex his perspicuum est 1°. Quodnam hujus virtutis sit officium: principale enim munus ejus, quod ipsa potissimum intendit, est opera magna, seu quæ magno honore sint digna efficere, non propter honorem hujus mundi (non enim est vera virtus, quæ honorem humanum sibi propositum habet, ut docet D. AUGUSTINUS L. 5. de Civit. c. 12. n. 4. quia est res caduca, fragilis, fallax, bonis et malis communis) sed propter ipsorum operum excellentiam, ratione cujus honore sunt digna. Secundum munus ejus est, appetitum honorum moderari, ita ut eos neque multum appetat, neque plus quam par est refugiat; si deferantur, iis non extolli, non exultare lætitia, sed moderate se gerere; unde Aristoteles ait: *Magnis honoribus et iis qui a viris bonis deferentur, modicè delectabitur, tanquam sibi accommodatis: qui autem a vulgo et ob res parvas tribuentur, prorsus contemnet.* Tertium, in omni prospera et adversa fortuna moderate agere; cum enim nihil magni aestimet, nisi quod vere magnum est, fit ut omnia temporalia parvi pendat, ac proinde non multum curet illorum secundos vel contrarios successus. Quamvis autem magnanimus honorem hujus mundi parvi aestimet, neque propter illum operetur; maximi tamen facit honorem cœlestem, ut apud Deum et angelos magnus habeatur et sit: hic enim honor est pars nostræ felicitatis, et præmium virtutis; et inter bona nostra externa maximum. Itaque propter illum honeste operari potest, et ad ardua virtutum coniti: unde 2. Corinth. 10. dicitur: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat;* et Joan. 5. v. 44. aperte indicatur, *gloriam, quæ a solo Deo est, esse querendam.*

Patet 2°. Hanc virtutem maxime reperiri in iis, qui spretis omnibus quæ in mundo sunt, Christi consilia sunt secuti, et ad ejus imitationem vitam componunt: magnitudo enim animi potissimum in duobus sita est; in con-

temptu earum rerum, quæ maximi vulgo aestimantur, et quærentur, ut sunt divitiæ, voluptates, et honores; et in conatu, nisique ad ea, quæ sunt maxime ardua et honore cœlesti digna; ut sunt consilia Domini, perfectio vitæ Christianæ.

Patet 3°. Ad hanc virtutem pertinere *fidentiam* et *securitatem*. *Fidentiam* quidem, quia non potest quis ardua genere agredi, nisi multum confidat se posse conficere. Deinde *fidentia* oritur ex eo quod quis advertat sibi suppetere vires et auxilia ad res arduas peragendas, et quod earum perficiendarum desiderio teneatur; quorum utrumque est in hac virtute. *Securitatem* vero, quia qui res humanas non multum curat, et solis æternis est intentus, ad quas satis opis et præsidii a Deo se habere sentit, multis curis est solutus, et magna animi securitate fruitur; magna quoque confidentia securitatem parit.

DUBITATIO III.

QUÆ VITIA MAGNANIMITATI ADVERSENTUR.

D. Thom. quæst. 130. 131.

98. Opponuntur magnanimitati tria vitia per excessum, *præsumptio*, *ambitio*, et *inanis gloria*. *Præsumptio* respicit proprie opus aliquod; *ambitio* honorem, *inanis gloria* opinionem et famam. Unum per defectum, *pusillanimitas*, quæ tamen illis tribus respondet.

Præsumptio, quam etiam *præfidentiam* Latini vocant, est nimia suarum virium confidentia, qua fit ut quis aggrediatur aliquid, vel paratus sit aggredi, quod est supra ipsius vires. *Vires ipsius* intellige quas vel in seipso, vel in aliis paratas habet; quod enim per amicos possumus, nos ipsi posse dicimur: consistunt autem vel in facultate naturali, vel in virtute aliqua infusa, aut acquisita, vel in arte aliqua, vel in gratia gratis data, vel in potestate ordinis, vel in potestate jurisdictionis: nam ratione horum omnium si quis aliquid supra suam facultatem tentet, erit vitium præsumptionis; ut patet ex Cajetano v. *Præsumptio*, in Summâ.

Hoc vitium in intellectu supponit opinionem falsam de suis viribus, ex culpabili ignorantia vel inconsideratione ortam: si enim hæc non esset culpabilis, neque opinio inde nascens, neque affectus voluntatis consequens culpabilis esset; ut cum quis bona fide ignorans rei conditionem, aliquid supra suam facultatem tentat. In voluntate vero requirit affectum vel absolute exequendi tale opus; vel sub conditione, si nimirum res ad se pertineret, si tempus et locus posceret, etc.

Hoc modo præsumptuosi et præfidentes censendi: hæretici, qui Scripturas audent exponere non prævio longo studio, vel sanctorum Patrum lectione; qui tentant miracula vel futurorum prædictionem, absque dono miraculorum vel prophetiæ: qui solis naturæ viribus putant se posse bene vivere et legem implere. Item qui absque debita peritia suscipiunt officium medici, advocati, parochi, confessoris, etc.: qui usurpant sibi potestatem, quam non habent, vel majorem quam habent; ut si diaconus vellet offerre sacrificium, absolvere, baptizare coram sacerdote; si iudex secularis cognoscere de causis Ecclesiasticis:

Hoc autem peccatum esse probat D. THOMAS, quia per illud violatur lex naturæ, orta ex lege æterna, quam omnes res naturales tenent : hæ enim omnes ex divina ordinatione hanc servant legem, ut nihil conentur supra suam facultatem; sed solum inclinent ad opera viribus suis commensa : præsumptio vero impellit ad id, quod est supra facultatem.

Est peccatum mortiferum, quando fit cum periculo vel injuria alterius, sicut præsumptio medici, judicis, confessoris; vel quando provenit ex errore contra fidem, sicut præsumptio hæreticorum in multis actibus: extra tales eventus fere est peccatum veniale. Ita Cajetanus supra.

Præsumptio de misericordia Dei, quæ dicitur peccatum in Spiritum sanctum; quæ quis non curat divinam justitiam, confidens Deum ipsi præstiturum veniam; etiamsi non sit sollicitus de conversione vitæ, potius opponitur spei quam magnanimitati; excedit enim modum in sperando, indebite confidens de divina bonitate, non de sua virtute; sicut desperatio deficit, non satis de ea confidens: nisi forte hæc præsumptio proveniat quod sibi tale Dei beneficium deberi putet; tunc enim immediate præsumit et præfidit de sua virtute, per eam volens consequi id, quod longe illam superat; et sic erit contra magnanimitatem.

99. *Ambitio* est inordinatus appetitus honoris: *honor* autem est testimonium excellentiæ; quod multis modis deferri potest, ut detectione capitis, inclinatione corporis, genuflexione, concessione loci honoratoris, erectione statuæ, delatione officii, magistratus, principatus, etc., ut dictum est supra c. 36. dubit. 3. Hos omnes modos respicit ambitio: qui enim aliquid horum sibi inordinate appetit deferri, est ambitiosus.

Porro honor tripliciter inordinate potest appeti. *Primo*, si appetas honorem ob rem quæ tibi non convenit, vel notabiliter majorem quam par sit; ut si quis velit honorari ob gradum vel doctrinam, quam non habet: si laicus velit præcedere sacerdotem aut Episcopum: si adpires ad officium honorabile, quo es indignus, aut velis præferri multo dignioribus: si ratione divitiarum velis tibi magnum honorem haberi. *Secundo*, si quæras honorem ex re quæ tibi convenit, sed illicita, v. g. ex rebellione, quod audeas resistere tuo Principi; ex arte magica, etc. *Tertio*, si ita ames honorem, ut paratus sis Deum offendere causa illius acquirendi vel conservandi; ut si episcopatum compares per simoniam, principatum per bella iniqua: si ut officium retineas, iniquum præstes jusjurandum, etc.

In primo est peccatum veniale tantum, nisi appetatur cum injuria alterius. In secundo est peccatum mortale vel veniale pro ratione materiæ, ex qua honorem captat. In tertio similiter, pro ratione mediorum, quibus utitur vel paratus est uti.

Reprehenditur hoc vitium a Domino, Matth. 23. *Amant primos recubitus in cænis, et primas cathedras in synagogis; et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi: vos autem nolite vocari Rabbi, etc.* Et Ecclesiastici 7. *Noli quærere a domino ducatum, nec a rege cathedram honoris.*

Oritur hoc vitium ex superbia: sicut enim superbia est inordinatus appetitus excellentiæ; ita ambitio est inordinatus appetitus honoris, qui est testimonium excellentiæ; unde omnes ambitiosi sunt superbi, et omnes superbi

ambitiosi; habet enim se ad superbiam ut propria passio, vel ut effectus adæquatus.

Si autem honor appetatur moderate ex re bona, nullum erit peccatum, etiamsi nullus alius finis spectetur, ut colligitur ex D. THOMA q. 131. a. 1. ad 3. quia per se est objectum indifferens, proxime accedens ad rationem honesti, cum sit testimonium et imago quædam virtutis.

100. *Inanis gloria*, quam Græci *κενοδοξίαν* vocant, hoc loco accipitur pro vanæ gloriæ cupiditate: alioqui proprie ipsa non est peccatum, sed peccati objectum in alio existens. *Gloria est clara cum laude notitia*, inquit Cicero: puta de excellentia alicujus. Itaque complectitur *opinionem* et *laudem*, et consequenter *famam*, quia bona fama in laude consistit: supponit autem excellentiam aliquam veram his dignam, tanquam materiam et objectum opinionis et famæ; unde patet, gloriam ab honore distingui, et consequenter ambitionem a cenodoxia seu vanæ gloriæ cupiditate. Gloria enim in notitia excellentiæ alterius, et laude, quæ verbis agitur, sita est. Honor vero in dignitatibus, magistratibus, et aliis testimoniis excellentiæ, quæ signis exhibentur; quando tamen vana gloria statuitur vitium capitale, etiam ambitio hoc nomine intelligenda est.

Potest autem gloria tripliciter esse vana in proposito: 1°. Si de simulata excellentia quærat opinionem vel famam; sicut faciunt hypocritæ, et omnes, qui se fingunt peritos alicujus disciplinæ, cum non sint: 2°. Si major quærat quam par sit, aut de rebus alias indignis; sicut faciunt jactabundi, et omnes qui de opibus et rebus frivolis gloriantur: 3°. Si apud eos qui de rebus non possunt recte judicare; sicut si quis coram imperitis disputaret, ut sapiens ab eis habeatur: nisi forte id ad ulteriorem finem honestum referret.

Erit autem hæc cupiditas peccatum mortale: 1°. Si hæc vana gloria appetatur ex facto, quod est peccatum mortiferum, ut de magia, de adulterio, de duello, de homicidio; nam talis gloriatio includit facti approbationem: si tamen non de ipso facto, sed de robore corporis, audacia, ingenio, quæ tali facto patefiunt, gloria quæreretur, non esset per se peccatum mortale; quia cum eo stare potest facti pravi detestatio: 2°. Si ob illam acquirendam vel retinendam negligat ea quæ ad salutem sunt necessaria, vel aliter paratus sit mortifere peccare: quales erant multi ex primoribus Judæorum, de quibus JOANNIS 12. dicitur: *Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*; et JOANNIS 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?* Extra hos casus solum est veniale, ut docet Cajetanus verb. *Gloriæ humanæ appetitus*: nam per se veniale est, neque fit mortale, nisi ratione alterius peccati, quod interdum in affectu vanæ gloriæ involvitur.

Numeratur vana gloria inter vitia principalia seu capitalia, a D. GREGORIO L. 31. Moralium cap. 31. quem sequitur D. THOMAS q. 132. art. 4. et 5. et cæteri doctores; quia *vitium capitale* dicitur ex quo tanquam radice virulenta, multa alia vitia veluti propagines venenatæ nascuntur; talia sunt quæ versantur circa objectum valde appetibile, cujus causa plerique mortalium parati sunt multa mala facere et pati; ut circa gloriam, sub qua etiam famam et honorem intellige, divitias, voluptates gustus, voluptates tactus;

hinc vitia capitalia sunt *cupiditas vanæ gloriæ, avaritia, gula et luxuria*. Item quæ versantur circa objectum valde molestum, saltem in imaginatione, cujus mali pellendi, vel molestiæ solandæ causa, etiam multa mala facere solent, ut sunt *invidia, ira et tristitia*.

Sic igitur vanæ gloriæ cupiditas est vitium capitale; ex qua nascuntur hæ septem filiæ, juxta D. GREGORIUM, *inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones*. Ratio est, quia *vana gloria* consistit in manifestatione suæ excellentiæ sive veræ, sive fictæ. Dupliciter autem excellentiam tuam inordinate patefacere potes. Primo, *directe*, idque vel per verba, et sic est *jactantia*; vel per facta: quæ si vera sint, et aliquid admirationis habeant, erit *præsumptio novitatum*; has enim solent homines magis admirari: si falsa sint, erit *hypocrisis*. Secundo, *indirecte*, quatenus videlicet vis ostendere te non esse altero minorem, idque quadrupliciter. Primo ratione intellectus; quod fit *pertinacia*, qua quis nimis inhæret suæ sententiæ, nolens cedere meliori. Secundo, ratione voluntatis; quod fit *discordia*, qua quis non vult alteri consentire. Tertio, quoad verba; sicque est *contentio*. Quarto, quoad facta; dum quis non vult exequi præceptum superioris, ne videatur minor, quod fit per *inobedientiam*; vide D. THOMAM art. 5. q. 132.

101. Quod autem hæc tria vitia magnanimitati adversentur, perspicuum est ex dictis. *Magnanimitas* enim versatur circa tria. Primo et principaliter circa magnum opus, ad quod juxta mensuram suarum virium tendit; hæc ratione adversatur ei *præsumptio*, quæ ad idem supra vires tendit. Secundo, versatur circa honorem, tanquam materiam, cujus appetitum moderatur; sic opponitur ei *ambitio*, quæ immodice in honorem tendit. Tertio, circa gloriam, laudem et famam, quorum etiam moderatur affectum; hæc enim ad eandem virtutem, ad quam honor, pertinent; sic opponitur ei *cupiditas vanæ gloriæ*, quæ ex quibusvis rebus, etiam ex mustaceo, et apud quosvis gloriolam captat. Aristoteles non expressit distincte omnia vitia, quæ magnitudini per excessum opponuntur, sed solum unum, quod ille *χαυρότητα* vocat, quo is, qui est indignus, seipsum dignum magnis honoribus æstimat, splendoreque vestium et opum ostentatione honores ubique captat. Hos vocat *χαυνοῦς* quasi dicat, laxos aut tumidos, vel *πρὸς τὰς τιμὰς κεχωρότες*, honoribus inhiantes; *χαυρόν* enim a *χαίνειν* hiare, ductum; eosdem dicit esse stolidos, et seipsos ignorare.

Pusillanimitas, quam Aristoteles *μικροψυχίαν* vocat, est alterum extremum magnanimitati directe oppositum; hoc vitium supponit apprehensionem, qua quis omnia tanquam nimis magna, et suam facultatem vel dignitatem excedentia concipit: unde fit ut diffidens viribus suis refugiat officia ad quæ probe est idoneus, et detrectet bona opera aliquid difficultatis habentia, quæ facile alioquin posset præstare. Si vocetur a Deo ad religionem, imaginatur rem esse nimis gravem, tristem, intolerabilem; nec audeat capessere. Rursus considerans suam conditionem, putat se indignum honore, qui defertur, quasi honor sit magnum quiddam, nec vult illum admittere, etiamsi recta ratio aliud postulet; seque nimium abjicit, non habita ratione officii vel gradus, in quo est constitutus. Eodem modo se habet etiam ad gloriam, laudem et famam, etsi his vere sit dignus; unde perspicuum est,

hoc vitium respondere in altero extremo tribus illis vitiis explicatis, præsumptioni, ambitioni, et vanæ gloriæ; ut enim nimium refugit opera et officia suis viribus commensa, repugnat præsumptioni: ut nimis honorem, ambitioni: ut veram gloriam et famam, vanæ gloriæ.

Hoc vitium est peccatum mortale, si id, quod detrectat, tale sit, ut ad illud suscipiendum sub peccato mortifero teneatur; si autem solum teneatur sub veniali, erit veniale. Idem dicendum etiamsi res sit consilii tantum; nam etsi non tenearis amplecti, tamen ex pusillanimitate animi refugere, quasi vires, quas Deus tibi dedit vel paratus est dare, superet, malum est.

Adversus *pusillanimitatem* facit consideratio divini auxilii, quod in iis, quæ ad salutem aut vocationem nostram pertinent, nobis præsto est, exempla Sanctorum, magnitudo præmiorum, et alia quæ fiduciam augment.

DUBITATIO IV.

QUID MAGNIFICENTIA, ET QUOD VITIUM EI ADVERSETUR.

D. Thom. quæst. 134. 135.

102. Nomen *Magnificentia* dupliciter accipi potest, ut colligitur ex D. THOMA, q. 134. art. 1. Primo in genere, pro quavis virtute, quæ facit res magnas; sive illæ sint actiones, quas Græci *ποδείξεις* vocant; sive res effectæ, quæ *ποιητὰ*. Facere enim aliquando generatim sumitur, ut actiones et effectiones comprehendat; hoc modo *magnificentia* non est virtus specialis, et convenit etiam Deo et Christo; cerniturque in opere creationis, redemptionis, gubernationis, sanctificationis, glorificationis; hæc enim valde magna sunt, et horum ratione Scriptura tribuit Deo et Christo *magnificentiam*, 1. Paralip. 29., Psal. 8. 110. 144. et alibi. Secundo, pro virtute humana, quæ magnis sumptibus in externa materia aliquid magni efficit; hoc modo est peculiaris virtus, quam explicat hic D. THOMAS, et Aristoteles L. 4. Ethicorum cap. 2. eamque vocat *μεγαλοπρέπειαν*, scilicet *magnidecentiam*.

Distinguitur a *magnanimitate*, secundum Cajetanum art. 2., quod hæc intendat magnitudinem in actione virtutis; hanc enim vult magnam et splendidam efficere: unde dicit Aristoteles, ipsam esse omnium virtutum ornamentum, nimirum quia earum actiones illustriores facit; illa vero intendit magnitudinem in opere externo, quatenus est opus artis, vel usibus humanis accommodatum, magnos sumptus requirens; ut in exstruendis templis, monasteriis, collegiis, in constituendis piis foundationibus, in epulo publico exhibendo, quando ratio postulat. De hujusmodi intellige definitionem Ciceronis, quam refert D. AUGUSTINUS, L. 83. QQ. q. 31. *Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum, cum ampla quadam et splendida propositione, cogitatio atque administratio*. In iisdem tamen versari etiam potest magnanimitas, si spectentur ut sunt magna virtutum opera, ut expresse docet D. THOMAS art. 2. ad 2. cum ait: *Ad magnanimitatem pertinet non solum tendere in magnum, sed etiam in omnibus virtutibus magnum operari, vel faciendo, vel qualitercumque agendo, ut in 4. Ethic. dicitur*. Itaque *magnificentia* videtur vel pars quædam esse magnanimitatis, vel parum ab ea distingui, ut versatur in tali materia.